



22

IMMANUEL!  
ΑΠΟΣΠΑΣΜΑΤΙΟΝ PHILO-  
LOGICUM,

Ad

*1. Timoth. III. Capitis comma 15.*

maximè

Interpunctionem vulgatam ejus  
vindicans;

SUPERIORUM INDULTU,  
ad disputandum publicè proponit

M. IMMANUEL Weber! Lips.

RESPONDENTE

JOHANNE DANIELE Hebenstreit/

Neostadio-Varisco.

*A. D. XXV. Junii, c1o 1oc LXXXI.*

LIPSIAE,  
denuò recusa Anno 1703.

B. 201  
T 154





## PRÆLOQVIUM.

**P**estilens dogma, quod recoctus ille  
è Scriba Philosophus a) Nic. Machiavellus  
b) viris Principibus suggestit, ut aularum  
terminos promoturi religionem præ se fe-  
rant, sed eam ubique statui adplicatam,  
explosum dudum est à Politicorum filijs,  
quibus corculis esse datum. At enim examussim qua-  
drat Pontificiorum Religioni, quippe cujus ultimam ana-  
lysin in hoc Pseudopoliticorum idolum fieri, multi No-  
stratum tenus hac ivère demonstratum. c) Et sane e-  
jus insigne specimen in ipso Theologiae suæ vestibulo d)  
exhibent homines, dum eam ab articulo de Ecclesia au-  
spiciantur; cujus vel una Eccii, cum B. Megalandro, di-  
sputatio testis est. e) Hoc nimirum stratagemate Curi-  
am sui præsulis, quem Ecclesiae nomine venditant, stabili-  
re satagunt; cui, ut postea errores ab eo prognati eo fa-  
cilius

A 2

- a) Sic ipsum salutatur Buchnerus, Progr. Vol. I. p. 510. b) de Prin-  
cip. c. 13. p. 95. c) præter Martin. Chemnit. Exam. Concil. Tri-  
dent. B. D. Heinrici, Epitome Theol. Papist. maximè Epist. De-  
dicat. d) Dn. L. Rechenberg: *Exnitione status* ait, in *Pedia-  
Christiana primum Pontificii de Ecclesia & ejus capite agunt*; Ap-  
pend. ad Libb. Symbol. part. II. c. XVI. §. 1. e) hab. Lipsiæ  
Ann. 1519. cujus acta vide, sis, Tom. I. opp. Lat. B. Lutheri, fol.  
242. f) Respicio ad Disput. Dn. Rechenbergg. hab. An. 1672.  
de Rat. Stat. Relig. Papæ, ubi ejus generis statistica Pontificio-  
rum dogmata elegantissime in *Curialia & Culinaris* §. 6. seqq.  
distinguit.

cilius pallientur, de ἀναμειρησίας privilegio prospicere ne-  
 cessum erat. Quo in casu haud parum sibi videntur ju-  
 vari loco Paulino, prioris ad Timoth. c. tert. comm. 15. ubi  
 Ecclesiz elogium hoc: εὐλόγηται καὶ ἐδρασίωμα τῆς ἀληθείας,  
 suis Genus (scilicet!) adprime conveniens, tributum legi-  
 tur. Inde quasi Gorgonium quoddam caput τοῖς ἐξ ἑαυ-  
 τῆς antepidem objectare consueverunt; id quod præ aliis  
 ex illo bella, arma, minasque spirante Cardinali satis con-  
 stat. g) Sed tantum abest, ut hoc Scripturæ S. loco ali-  
 quid lucrentur, ut potius incassum eat omnis eorum labor.  
 h) Brutum fulmen uti extorquerent è manibus Adversa-  
 riorum, quæsiwerunt hæctenus nonnulli, maxime è Refor-  
 matorum Scholis, nova via; dum subsidium, hic à Papæis  
 quæsitum, nova textus distinctione tollendum esse cen-  
 suerunt; in advertentiam, nescio quam, imaginantes sibi  
 qua contra mentem Apostoli verba ita corrupte coalue-  
 rint, ut εὐλόγηται καὶ ἐδρασίωμα τῆς ἀληθείας sub finem comma-  
 tis 15. prædicentur de Ecclesia, cum deberent ad initium  
 sequentis versus 16. de mysterio pietatis, adeoque de ipso  
 Servatore Christo, trahi atque exponi, & sic obex Thrafo-  
 nica Pontificiorum de sua Ecclesia gloriatione facile pos-  
 set confitui. Huic sententiæ, novæ ac ingeniosæ, (non  
 diffiteor,) an tuto per omnia liceat adspicari, non inju-  
 ria disquiritur. Quare non operam nos iusuros arbitra-  
 mur, ubi *nobilissimum istum, & qui multorum hæctenus ingenia  
 exercuit, Paulinum locum, i)* è S. Philologia pro viribus non-  
 nihil excutiemus. DEUS, suo gratioso Spiritu esto no-  
 biscum!

## Textus

- g) Bellarm. Tom. II. opp. L. 2. de Concil. c. 2. fol. 69. & l. 3.  
 de Eccles. milit. c. 14. fol. 187. h) v. in hanc rem B. Gerhard.  
 LL. CC. Tom. V. de Eccles. §. 117. fol. 308. 309. & Confess.  
 Cathol. Tom. I. p. 539. & Tom. II. p. 118. i) elogio Heinßii,  
 Exerc. ad N. T. l. 12. c. 3. f. 514.

Textus originalis Græcus.

Εάν δὲ θεράδυνα, ἵνα εἰδῆς, πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεῶ ἀναστῆ-  
Φεῶξ, ἥ τις εἶν Ἐκκλησία θεῶ ζῶντος, σῦλλος καὶ ἐδραῖωμα  
τῆς ἀληθείας.

Verfio Vulgata Latina.

Si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te  
in domo DEI versari, quæ est Ecclesia DEI vivi, columna  
& firmamentum Veritatis.

ΤΜΗΜΑ. I.

I.

**C**onsulentibus Interpretum oracula circa hoc nego-  
tium, dux sese obferunt sententiarum distinctæ  
Classes. Prior eorum est, qui ad ipsum Timothe-  
um Apostoli verba referunt, & quidem per Allegoriam à  
domo, cui Ecclesiam, & columna, cui Timotheum compa-  
ret, petitam. Sed hi, cum præter aliquot Patrum auctori-  
tates omni destituantur fundamento, ne plus, quam oportet,  
temporis infumatur, non sunt audiendi. Mittimus  
potius, qui de hoc pluribus informari cupiunt, ad doctis-  
simum Thom. Gatakerum, Londinatem, qui & ipse suum  
dictæ sententiæ addit calculum. k)

II. Posterior, quæ de Ecclesia enunciat, sola placet.  
In ea melioris doctrinæ ergo seorsum notamus Subjectum  
& Prædicatum. Illud Ἐκκλησία, hoc σῦλλος καὶ ἐδραῖωμα  
τῆς ἀληθείας.

III. Ecclesiam innui h, l. *universalem*, quæ licet toto  
orbe dispersa, per intrinsecam tamen unionem (juxta-  
quam & est *invissibilis*), cum Christo capite & reliquis mem-

A 3

bris

k) Advers. Miscell. L. II. c. 20. p. 388. seqq. ubi & hanc senten-  
tiam se ex Guilelmo Chilinsvortheo suo, tr. de vita & saluta-  
ri Protestantium Religione adversus Pontificium nonnemi-  
nem, part. I. c. 3. §. 76. hausisse, profitetur.

bris uniatur, (quo respectu etiam *indeficiens* est,) docet nos, qui tantum non omnes, Magnif. Dn. Scherzerus noster. l) Quod si vero particularem, e. g. Ephesinam, cui tum Refor præfuit Timotheus, intelligi forte malis, non nisi sensu reduplicativo ac conditionato id capiendum, in quantum scil. isthæc talis est, ac permanet.

IV. Prædicatum absolvunt reliqua: *σύλον καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας*. Multi hic multa, Metaphoram à Columnis desumptam subesse, apud omnes serè in confesso est; sed à quibus, variant sententiæ. Sunt qui ad columnas *ἰσθῆγιαι* Israëlitarum, ad *σύλον πυλῶν καὶ νεφέλης* respexisse Apostolum, & hoc subinnuisse adserunt, quod eo, quo olim ibi, ita hodie in Ecclesia DEUS habitat modo. m) Sunt, qui ad columnas Hierosolymitani templi, n) earumque bases allusum existimant, quorum sententiæ apud Interpretes fere regnat. o)

V. Jacobus Gothofredus, J.C. & Polyhistor Genevensis, inter alia *δυσνόητος* & hunc D. Pauli locum ex profanz antiquitatis penu vel maxime illustrandum iudicat; quod & felicissime, ni fallor, præstitit. p) VI. Non

l) System. Theol. Loc. XXV. §. 16. p. 702. seq. m) Hanc opinionem non obscure præ se fert Dan. Heimsius, c. l. qui omnino notandus, quod propter manifestiorem hunc sensum, & quo inanis, quam putat, ἡ θεῶν, repetitio illa: *ὁ δὲ διὰ θεῶν, ἧς ἐστὶν ἐκκλησία θεῶν ζῶντων*, tollatur, ita distingui mavult: *ἧς ἐστὶν ἐκκλησία, θεῶν ζῶντων* *σύλον, καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας*, quæ positio commatum contra omnium codicum fidem est, & merito castigatur à Jac. Gothofredo, tacito licet nomine, Exercit. I. ad h. l. de Eccles. p. 24. n) quarum duæ aræ ante templi vestibulum erant, i. Reg. XVII. 15. seqq. quæ quidem delatæ postmodum in Babyloniam, 2. Reg. XXV. 16. Jer. LIII. 17. 20. 21. o) v. pro ea inprimis D. Seb. Schmid. Colleg. Bibl. post. Loc. XVI. dict. 2. p. 301. seqq. Glaff. Philol. S. I. V. tr. I. c. 13. p. 1350. 1351. 1352. Crauser, Phosp. N. T. p. 280. 281. it. Cornet. à Lapid. Comment, super h. l. f. 726. p) Dissert. I. per tot.



VI. Non infrequens primum fuisse, ait, cum ipse  
met Servatori, qui plurima è medio vulgi, rebusque hu-  
manis ad divina accommodarit; tum maxime D. Paulo, ut  
in Græcia constitutus Græcæ superstitionis voces in me-  
liores usus transferret, & translatis inde, quæ ibi vel ma-  
xime celebria, allusionibus, tacitisque Antithesibus, quasi  
in re præsentī, arcana fidei Christianæ Gentilium oculis  
subjiceret. q) Et ad hanc faciem etiam hoc in loco lo-  
qui Θεοθήτου Paulum.

VII. Putat ergo, institutum *δικον* τὸ οἶκον,  
ἢ ἢ μυστηρίων Θεῶν, Apostolum respexisse ad templum vel E-  
leusinum, vel Ephesinum, ea mundi miracula, & ad my-  
steria, quæ in iisdem celebrabantur, toto videlicet orbe  
decantatissima: eo fine, ut vel ex iisdem Ecclesiæ sibi de-  
mandatæ dignitatem, & in ea tractandi mysterii majesta-  
tem, tanquam ex oppositis ad se positis, judicare eo lucu-  
lentius discant.

IX. Tempa cum aliis, tum οἶκον nomine insignie-  
bant Ethnici, ut de οἶκοις Dianæ Ephesinæ & Cereris E-  
leusinæ cum primis liquet. Huc fortasse respiciens Pau-  
lus, Ecclesiam οἶκον Θεῶν, domum Dei, appellat. Sed ne  
quis χεεργρατητὸν ναὸν DEL alicujus fabulosi sibi imaginetur,  
mox ἀντιθέτως explicationem subjicit: ἧς δὲ ἐκκλησίας  
Θεῶν ζῶντων.

IX. Adhæc cum & gentilium templa εἰδῶς ad stu-  
porem usque superbirent, quæ variis destinabantur usu-  
bus, e. g. idolis portandis, capiendis legibus, oraculis, elo-  
gii, fœderibus, &c. dubio procul ab has respexit idem.

Apo-

q) Ita inscriptionem Athenis fortuito oblatam arte torstī in-  
argumentum fidei, atque ex ara Ignōti Dei occasionem sumisit  
verum DEUM prædicandi, Act. XVII, 23. Plura, quæ juxta  
morem urbis & Provinciæ suæ locutus, notavit Hierony-  
mus, Epist. ad Algasiam qu. 10, confer B. Glass. Phil. S. I. I. tr.  
4. Sect. 4. p. 244. & Casaub. Exercit. XVI. Anti-Baron. n.  
43. p. 389, 399.

Apostolus, dum ipsi nec minus Ecclesiae hoc impertitus est  
elogium.

X. Similiter & ἰδρωγίωμα ex eadem idololatrica An-  
tiquitate explicandum, & οἶνα Θεοῦ Λοιτῶ applicandum.  
Ad quem sensum, indice velut digito, ab ipsa vocis nota-  
tione seu origine deducimur. ἰδρωγίωμα enim ab ἰδρω-  
gῆ est; ἰδρωgῆ vero notat inter alia fellam aut confessum quo-  
que, & apposite eum ipsum Senatus concessum, in Eleusi-  
nio, à Solone institutum, ut ex Antocide r) constat. A-  
lios vocis hujus significatus uti taceam, quos πολυμαθεῖα-  
τῶ Gothofredus adlegat, ac erudite praesenti loco appli-  
cat. s)

XI. Haecenus Philologi; audiamus, cum venia eo-  
rum, & nunc τῶς τῶν θεολογικῶν παιδα, quorum est ma-  
gis ad rem, quam voces, ad nucem, quam corticem atten-  
dere. Absunt hi ne latum quidem unguem ab expositio-  
ne, translate à columnis & ἰδρωγίωμασι petita, & Ecclesiam  
cum his convenire ἀπό μίας fatentur.

XII. Omnis columna firmo fundamento innitur; ;  
Ecclesia fundamento Apostolorum & Prophetarum, ipsi  
summo lapidi angulari Christo. t) Porro columnæ infer-  
viunt vel *architectonicè*, sustentando superimposita; vel *po-  
litice*, monumentis ab interitu vindicandis, edictis publi-  
candis, &c. quos columnarum usus prolixè monstrant,  
Josephus, u) Dionys. Halicarnasseus, x) Plinius y) & A-  
lex. ab Alexandro. z) Sic Ecclesia, (quam sententiæ suæ  
perceptionem nobis rursus largiantur Dd. Theologi; ) di-  
vinam Veritatem priori modo a) inter homines susten-  
tat, non primo quidem, & absolute, & quasi ab ea depen-  
deat,

r) Orat. I. de Eleusiniis. s) cit. l. à p. 41. ad 54. t) Ephes. II, 20.  
u) l. I. Antiqq. Judaic. c. 4. l. 10. Antiqq. Roman. y) l. 6. Hist.  
Nat. c. 29. z) l. 3. Gen. Dier. c. 7. a) vid. cit. hic B. Ger-  
hard. Tom. V. Loc. Theol. s. 116. fol. 801. b. Meisner. de  
Eccles. sect. 4. c. 7. p. 718. Walther. Harmon. Bibl. ad h. l.  
p. 128.

deat, quem errorem Papæ errant; sed κατὰ, quatenus scilicet & ipsa Veritati inscriptis Prophetico - Apostolicis comprehensæ superincumbit. Posteriori autem, quatenus ad illam, tanquam ad propylæum aliquod tabulæ divinarum legum publicè sunt appensæ, uti eas interpretetur, custodiat, ab interitu vindicet, & ad posteros fideliter transmittat.

XIII. Caterum & hic ἐν Διὰ δὺο (vulgo barbare Hendiadys) occurrere non male nonnulli statuunt, cuius exempla aliquàm multa collegerunt Gerh. Joh. Vossius, β) & Joh. Pricæus. γ) Ut adeo juxta hanc ἐλθὲ καὶ ἐδραῖωσα idem sit, ac ἐλθὲ ἐδραῖωσα, quia portæ inferorum adversus eam non sunt prævalituræ, & Christus cum ipsa futurus usque ad consummationem sæculi. δ)

XIV. Sensus hic est loci Paulini, ad receptam Codicum fidem distincti, haustus è limpidissimis Theologorum pariter & Philologorum fontibus. Num adversus eum tantum valeant Pontificiorum phantasmata, quantum fortean sibi imaginantur, qui eorum causâ textus sacri vincula rumpunt, partemque aliorum trahunt, dispiceremus, nisi ἵνα ἐν τῷ σάματι πηδῶν, καὶ ἐν ἀλλοτρίῳ χώρῳ πόδα πηθεύειν esset religio. Philosophorum quippe, cui inistimus, non Theologorum campus hic est; & nos itaque, si quando eorum scholæ suggesserunt non plane nulla, non alio fini id factum iterum iterumque monemus, quam uti, panico quam temere agantur terrore,

B

quæ  
β) Part. II. Institutt. Orat. I. 5. c. 4. p. 313. 314. γ) Annot. ad quosd. N.T. Libr. f. 778. Ad quam figuram Grammaticam vulgò etiam referunt (quod obiter noto) initium Virgilianæ Æneidos: *Arma virumque cano*; i.e. armatum virum, Æneam videlicet Non adeo bene. Etenim totius operis Æneani periocha potius his continetur verbis. De viro enim, h. e. Ænea, agit Auctor VI. prioribus; de armis vero sive bellis, in Italia gestis, VI. posterioribus libris. δ) Matth. 16. 18. & 28. 20.

qui hostem metuunt, prostratum dudum, & ante portas optime munitas, sacrorum circularum turbatores utcuque doceamus. Id quod ipsi profiteri haud erubescunt, si expositioni nostræ subscripserint; sin ab ea recedere visum fuerit, canant classicum Dnn. Theologis, à quibus eam nos sumus mutati. E dictis sane apertum est, ausus eorum esse vanos, ad quos nulla cogens necessitas ipsos impulit. Sed æge, tendamus tandem, quo signa nos vocant, & litui adversariorum.

## ΤΜΗΜΑ. II.

### I.

**P**er totum quidem cum Adversariis configendum erit; sed ne acie excidamus, ita nobis moderabimur, ut eorum primo vultus & arma lustremus, dein lustrata è manibus excutiamus, tandemque inermes ratiociniis quibusdam nostris campo penitus ejiciamus.

II. Primus, quantum nobis constat, bellum hoc movit Abr. Scultetus, e) quanquam & alios ante se hanc inflasse tubam profiteatur. Audiamus ipsum suis verbis. Magni, inquit, viri sunt, (sed quinam illi? nobis sane è literarum monumentis publicis hæctenus incogniti;) quibus suspectum est κώλον ἐλοκνησεν post verba, σὺλⓄ καὶ ἐδεξιῶμα τῆς ἀληθείας positum. Sic enim putant, à veteribus, qui jam olim columnam & firmamentum Veritatis Ecclesia tribuerunt, hunc locum minus rectè intellectum, ac proinde etiam minus rectè distinctum, vel confusum potius fuisse. Verba igitur ista, σὺλⓄ καὶ ἐδεξιῶμα τῆς ἀληθείας, existimant non ad præcedentia & Ecclesiam, sed ad sequentia, adeoque ad Christum referenda, hoc modo: Quod si tardius venero, ut noris, quomodo oporteat in domo DEI versari, quæ est Ecclesia Dei

e) Observatt. in Epist. D. Pauli ad singular. c. 18. p. 26. 27.

DEI vivi. Columna & stabilimentum Veritatis, & sine controversia magnum pietatis est mysterium, DELUS conspicuus factus est, &c.

III. Excipit hunc toto tormentorum cumulo, quo reliqui postmodum adversus nos omnes utuntur, instructus Johannes Camero, Scoto-Britannus. §) Age, experiamur ista. Propius, ait, *intuenti seriem Orationis Apostoli, planum est, verba ista, σὺλθ' ἡμῖν ἐδραῖωσα τῆς ἀληθείας, non pendere à precedentibus, sed esse conjungenda cum sequentibus, h. m. Columna & fundamentum veritatis, & sine controversia magnum est pietatis mysterium, &c. sensu aperto & plano; nam idem vocat Apostolus mysterium pietatis, (summam nempe Evangelii) & columnam ac fundamentum veritatis. Atque ita se rem habere, hinc probari potest, quod aliqui erit oratio Apostoli hiulca & suspensa, si sic legamus: Ut scias, quomodo sit tibi versandum in Ecclesia, quæ est domus DEI, columna & fundamentum veritatis. Et sine controversia &c. Ἐστὶ ἀσύμμετρον, non coherent ista. Deinde non solet Apostolus novi argumenti translationem inchoare à conjunctione Et, itaque illud: Et sine controversia magnum est pietatis mysterium, necessario cum precedentibus cohereret, nempe cum columna & fundamentum veritatis. Tertio hæc est iustitissima formula inter Judæos, cum quis profiteretur, se traditurum esse præcipua dogmata religionis, ut illud præmuniat; columnam esse & fundamentum veritatis, vel sapientia, id quod traditurus est. Nam e. g. celeberrimus ille R. Moses Ben Maimon statim initio nobilissimi operis, quod Mifna dicitur seu *יד*, sic habet: *היסוד ועמוד החכמה* hoc est: fundamentum fundamenti, & columna sapientia hæc est, ut sciamus, quod sit Ens primum, &c. nempe solent Apostoli uti phrasibus in Ecclesia Judaica receptis, sed accommodatis ad rem, quam agunt, quæ ratio docendi accommodata est inprimis.*

B 2

Itaque

§) in Myrothec. Evangel. ad h. l. p. 278. quod *δοξάζειν* eum à D. Andrea Melvino, comprovinciali suo, hausisse perhibet Th. Gatakerus, l. sup. cit. p. 399.

Itaque Apostolus more suo formulam hanc, qua Judæi utuntur, adhibuit hoc loco, cui proprie convenit. Adhuc ille.

IV. Sic è Reformatorum grege Lud. Crocius eandem fovet sententiam, iisdem Cameronis pugnans argumentis. η) Et, quod mirari subit, amplectitur eam E.S. θ) vir alioquin de *Scripturæ explicatione non solum, verum etiam universa republica literaria longe meritisimus*; ι) itemque alius ο δεινα, κ) qui postquam in medium attulisset Cameronis opiniunculam, hanc subnectit Πίνερον: *Placeat profecto explicatio ejus loci minimè coacta, qua nervus Pontificiorum argumento, quod hinc pro infallibilitate Ecclesiæ petunt, prorsus inciditur.* Ita & Qvistorius, λ) cum eandem Cameronis sententiam recensuisset, mox addit: *Probarem, nisi interpunctio apud Apostolum repugnaret.*

V. Censuræ hic est Adversariorum, qui nobis forte, nunc succurrunt. Unus sane pro omnibus militavit, Camero; igitur & operæ compendium facturi, nonnisi maxime hujus argumenta brevissimarum aliquod responsum cuniculis suffodiemus: quo facto non poterunt non simul & ceteri ejus asseclæ concidere.

VI. Primum ο καθ' ηµων ἀσυνθεσίαν objicit, secuturam, si more recepto distinguamus. *Est ἀσυνθετον*, ait, *non coherere ista.* At enimvero α) γαρή,

Istud non satis est uno te dicere verbo,

Sed facere, ut quisvis sentiat, & videat.

Expedi tum dabimus contrarium. Diversis nimirum vobis, quæ tantoperæ Cameronem ussit, gaudet usibus, quos eum non satis penetrasse inde liquet, quod pro nuda habuit copula, quo ipso non potuit non has angustias in-

η) Syntagm. Theol. I. IV. c. 2. de grat. Redemt. p. 988. θ) Annot. ad N. T. fol. 1243. 1244. ι) iudicium est Sauberti, Obferv. ad II. quæd. prior. Epist. ad Timoth. p. 18. κ) Analect. S. Vol. I. l. 6. cap. 35. pag. 403. λ) Annot. Bibl. in N. T. pag. 364.

as incidere. Est vero ex mente Gothofredi  $\mu$ ) hoc loco  $\eta\gamma\iota$  vel  $\epsilon\lambda\eta\gamma\eta\tau\eta\sigma\iota\sigma$  aut declarativum, pro, ID EST, in sensu conjuncto, non diviso; ut ita voluerit Apostolus ostendere, quanam sit illa veritas, cujus  $\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\nu\eta\gamma\iota$   $\epsilon\delta\epsilon\gamma\gamma\iota\sigma\tau\omicron\upsilon\alpha$  prius Ecclesiam dixerat; aut in quo consistat, nempe præprimis in mysterio Oeconomix, & reliquis, quæ seq. v. 16. enumerat, doctrinæ Evangelicæ capp. præcipuis. Vel  $\alpha\upsilon\lambda\lambda\eta\lambda\eta\sigma$  sumitur, atque ad antecedentia novæ alterius rationis adjectæ nota est. Vel denique diversarum licet rerum, similibus tamen in aliquo negotio conjunctionem notat, Ecclesiæ nimirum, & mysteriorum; dein veritatis & pietatis, prout hæc omnia laudatus auctor cit. loc. pluribus declarat, ubi & diversas hujus voculæ notiones adducit.

VII. Videamus, quid machinetur amplius. *Deinde, pergit, non solet Apostolus novi argumenti translationem inchoare à Copula Et.* Perperam! Aut enim cum larvis pugnat, aut falsum committit. Quodsi ex sua hypothesi, Et copulativum est, nemini (nisi sibi ipse forte) hæc opponit, cum ita nemo sentiat; sin hypothesi sua turpiter relicta, in genere de particula  $\eta\gamma\iota$  loquitur, prout varios ea passim usus admittit, vim infert veritati. Propinamus ipsi è 1. Cor. 2, vers. 1. & c. 3. vers. 1. ut alia plura loca scientes prætereamus. Quod enim de Chamæleonte & Proteo illo Ebræorum tradunt Grammatici,  $\nu$ ) eundem esse nonnunquam  $\begin{matrix} \text{תולד} \\ \text{הרב} \end{matrix}$  *principium sermonis*; id etiam de Græco  $\eta\gamma\iota$  verissimum. Ad hæc fallit & fallitur  $\alpha\upsilon\lambda\lambda\eta\lambda\eta\sigma$ , dum novum argumentum in sensu, ut ipsi visum est, Rhetorico tractare Apostolum comminiscitur. Novum in sensu Logico concedimus; sed vero in Rhetorico, prout idem est, quod novum thema, negamus ac pernegamus.

B 3

IIIX.

$\mu$ ) Exercit. II. ad præsentis textus comma 16. de mysterio pietat. p. 78. seqq.  $\nu$ ) v. Camium Libr. Radd. & init. Josuæ, it. Druf. & Ebert. de liter.  $\begin{matrix} \text{מטרה} \\ \text{וכלב} \end{matrix}$ .

IIX. Ultimo à Rabbiniſ ſubſidium petit; quod an-  
 ei præſent, diſpiciant, queis ærtior cum hiſce magiſtris  
 intercedit conjunctio. Quin multa ſacri Scriptores ab E-  
 braiſ petierint, ſ. Caſauboni, Buxtorfforum, Druſii, Lud.  
 Capelli, Cocceji, Hackſpanii, Ligtfooti, aliorumque  
 αυθον παθηθη αυθουτες αυθουτες adnotaſſe λόγος Judæi  
 tradituri præcipuum dogma præmittunt hanc formulam; E. hic  
 eadem cum principe Religionis dogmate à Paulo tradito, cohe-  
 reat oportet, obſtantibus licet quibuſvis difficultatibus. A ba-  
 culo ad angulum. A Judæo uno, (plures enim non re-  
 cenſuit;) ad Paulum. Από μηδεν, collectio vel nulla, vel  
 infirma; probante veritatis Philoſopho, Ariſtotele. ξ) Ut  
 nihil de ipſo exemplo Apellæ dicam, quod quam apte huc  
 faciat, vel inde liquet, quod cum noſtro textu non niſi u-  
 nica columnæ voce conveniat.

IX. Hactenus Cameroni. Ne quid deſit rationum,  
 ενδαν licet, ενθουθη ille, quem adduximus ſupra, ſu-  
 peraddit, conſentire cum nova interpunctione editionem N. T.  
 Baſileenſem, anni c1o D XL. Sed quid inde?

Ver non una dies, non una reducit,  
 hirundo.

Unum exemplar veritati omnium ne hilum poteſt præ-  
 judicare. Unico iſti nos poſſemus infinita propemodum  
 opponere. Nec ipſa vetuſtas habet, quod hic probet,  
 quidpiam. Quodſi enim in antiquiſſimis quibuſdam e-  
 xemplaribus Hæreticorum, veritatis expulſum, depravationes  
 ο) inveniri compertum ſit, quidni ex eorum quoque  
 numero poteſt eſſe idem Baſileenſe? Sane jam olim So-  
 crates

ξ) l. i. prior. Analyt. c. 7. & 24. ο) Equidem hoc negat Th.  
 Moruſ Angluſ, Epiſt. ad M. Dorpium pro deſenſ. Eraſmi, p.  
 411. Sed manifeſta ſunt Doctorem veterum teſtimonia, id li-  
 quido probantia, v. Glaſſ. Phil. S. l. i. tr. 2. p. 146.



crates, π) priscorum interpretum testimoniis, probat, fuisse, qui primam Evangelistæ virginis, D. Johannis, epistolam depravarint; cujusmodi impietatis Manichæos maxime, Helvidium, & Anabaptistas arguit Sixtus Senensis. ς) Quin & quondam paria cum nostro fata habuisse versu, tertium Joh. I. ultimum Actuum Apostolicorum II. tricesimum tertium, itemque quartum, i. ad Corinth. VII. ultimum ad Galat. IV. aliosque, haud exiguo numero, B. Glasius annotavit. σ) Taceo typographorum Mæcenatum ignorantia, ita Heinſio alicubi dictorum, *αὐτοβλαβῆς*: unde quam varii in *unum alterumque* Codicem irreperint errores, ad nostra usque tempora, per traducem quasi propagati, si opus foret, prolixius percerere possemus.

X. Satis diu adversariorum arma virosque vidimus, & quod speramus, vicimus; tempus monet, ut eos nunc plane demus internecioni. Quod & præstituri sumus, ubi modo, quis tantæ ipsis autor svasorve fuerit audaciæ, adhuc paucis inquisiverimus. Is verò, nisi omnia nos fallunt, est illa falso concepta licentia, sacros pro lubitu fecandi atque distinguendi textus; quem eum cerebelli humani partum existiment, idem & sibi eo, quo primis *αἰγιόμαρται*, jure licere arbitrantur non pauci. Et certum quidem, cum fontibus distinctiones non capisse, siquidem Anglus doctissimus, Johannes Crojus, τ) veteres Codices, fueto more non distinctos, vidit, quem B. noster Kromayerus, υ) Waltherus, φ) Morinus, χ) Leudſenius, ψ) aliique calculis suis juvant. Nec quo postmodum cape- rint auctore, satis constat. Licet enim multa hic in vul-

gus,  
 π) l. VII. Histoꝛ. Eccles. c. 32. ς) Biblioth. S. I. VII. hæꝛ. I. f. 576.  
 σ) Phil. S. I. I. tr. 2. p. 130. τ) Observatt. in N. T. c. 7. υ) Comment. in Apocal. p. 270. & in Appar. Theol. p. 2. c. 5. p. 114. conf. & Sixt. Senens. Biblioth. S. c. 3. fol. 188. φ) officin. Bibl. p. 240. χ) de Ebr. & Græc. text. integr. p. 196. ψ) Philol. Græc. p. 17. seqq.

gus, & ab ipsius filio, <sup>o</sup>) Roberto Stephano accepta referantur; is tamen, quod dudum viri docti monuerunt, revera nonnisi versuum, quibus hodie utimur, numeros adjecit, ipsa lectio & distinctio in capp. ipso prior multe est. 1) Hæc, inquam, licentia *πεῶν* illud *ψι*, quod tantum valuit & apud *παυλέξ* Grotium, ut *unicuique sere in distinctionibus liberum reliquerit iudicium*, 2) quasi ab arbitrio uniuscujusque ex dependerent.

XI. Sed è diverticulo in viam, age. Quatuor cum primis modis genuina Scripturæ Novi Fœderis lectio comprobatur. Primus est exemplarium antiquorum & probatorum fides; Secundus doctorum veterum allegatio & interpretatio; tertius Scripturæ conformitas; quartus Versionum, si non omnium, certe potiorum, consensio. Vix ullius mustea Adversariorum distinctio examen, scio, sustinebit.

XII. Pugnat namque cum omnium, quotquot inspicere licuit, Interpretum ac Codicum probatorum fide. Ut è multis pauca commemoremus, cum lectione Chrysofostomi, Hieronymi, Theophylacti, Oecumenii, Anselmi,

<sup>o</sup>) Henr. Stephan. præf. Concord. Græc. N.T.

1) Capitulum distinctio ut plurimum Stephano Longthono, Episcopo Cantuariensi in Anglia, adscribitur. v. Balæus, de Script. Anglic. Secul. XIII. Contra ea Matth. Westmonasteriensis & Serarius in Proleg. eandem tribuit Cardinali Hugoni de S. Caro, qui & inde Pater Concordantiarum fuit dictus. De tota hac re vidd. præter. ante citatt. Brochmand. Comment. in Epist. Jac. Proleg. sect. 3. fol. 6. seqq. Schererz. Animadvers. Isagog. circa Philol. S. l. r. Animadv. 6. p. 137. Rivet. Isagog. ad Script. S. c. 29. p. 506. seqq. cum quibus conf. Salmaf. Exercitatt. Plin. in Solin. maxime in Præfat. 2) Annot. ad N. T. Marc. VI, 14. Conf. Magni Calovii Bibl. illust. ad h. l. f. 496.

mi, Roberti Stephani, (quī collatis sedecim exemplaribus N. I. libros anno c1o 1o XL. luci edidit;) Theod. Beza, 3) Erasmi, Joh. Camerarii, Casauboni editione, Bibliis Regiis, & quibus non? Pugnat cum Versionibus, Syriacā, Arabicā, Ebraicā, Vulgatā Lat. &c. Pugnat & suo modo cum Scripturā conformitate, cum nullibi præterea mysterium Oeconomix *σύλ<sup>ο</sup> και ἐδραϊωµα της ἀληθείας* vocetur; quam tamen pugnam, cum forum Theologicum propius tangat, in præsentī pluribus haud urgemus.

XIII. Insuper Photinianis, hæreticissimis omnium, quantum ubique gentium est, 4) libertatem conciliat, sacrum Codicem, pro cupidine sua distingvendi atque distinctiones immutandi. Hoc ipso enim cacoëthe pestilentissimo, quam assidue ii laborent, Christian. Becmanus, 5) & Excell. Johan. *Θυύς / ο* meus & olim in Illustri Moldano, & hodienuum Præceptor, Patris vice *αρεός ἐξαστα* colendus, quamplurimis docent. Et igitur ob solutionem unius quadrantis ineptum oppido foret, talento se obstringere; quod adagio dicitur.

XIV. Tandem Scripturæ *ἀσφαλείαν* præsentissimo exponit periculo. Quodsi enim ad suum palatum, ac præconceptam, quam quisque secum fovet, opinionem Codd. interpungere licebit, brevi hæc licentia vires majores eundo acquireret. Inde quis non Scripturæ *ρόθ<sup>ο</sup> ἐλκοιμήης, η̄ κ' ἀνδρες ἀγων, 7)* erit metuendus? Ecquid certi habebitur

3) Quot & quibus exemplaribus hic usus, docebit ejus præfat. præmissa Annotatt. Major. in N. T. 4) quo titulo meritissimo suo eos mactat Hackspanius, Syllog. Dissp. Theol. Philol. p. 196. 5) Exercit. Theol. II, Integer. contra Photin. à. p. 26. ad 143. 6) Prælect. Log. rubr. de Sophist. Elench. 7) Hæsiiod. *ἐργ. και η̄μέρ.* v. 218.

bitur demum ex ullo loco, si iis, quæ vel evidentissima sunt, novis interpunctionibus novum sensum quomodocumque adfricare integrum fuerit?

XIV. Novitati quidem, si non excogitata absque ingenio, suus debetur honos; sed ut alibi

**Eventus varios res nova semper habet;**

Ita plerumque in Sacris periculo haud vacat, 8) & facile Scyllam incidit, Charybdim aliquam vitaturus. Non adfurgas, amico aliquo dicente, *Habeo aliquid novi, quod dicam.* Respondeas: *malim utile aliquid & conducibile, Plutarchi aureum monitum est;* 9) Quod ut sibi dictum, cumprimis putent Novitatum sacrarum aucupes, serio suademus & exhortamur.

**DEO GLORIA!**

8) Consulator Dn. E. Nechenberg's Disp. de Novit. in Rep. noxia, cap. III. & IV. ac Hower ad Minut. Felic. p. 125. seqq.  
9) de Curiosit. p. 211.

COROL

## COROLLARIA.

- I. Subscriptions epistolarum Paulinarum an sint authenticae, dubitari potest.
- II. Epistola D. Pauli ad Timoth. prior è Laodicea, quæ est metropolis Phrygiæ Pacatianæ, prout quidem vulgaris subscriptio habet, non videtur missa: quia de universa re, Θεῶν σὺν Παλάμῃ, peculiari Disputatione agere animus est.
- III. Casaubonus Nott. in N. T. p. 371. & post eum Pricæus, Annotatt. ad idem, fol. 42. in verbis D. Matthæi, σὴς καὶ βρώσις, cap. VI, 19. ἐν Διδάχῃ δουὶν, pro σὴς βρώσικου, constituant. Male! Est enim ὁ σὴς, σηπές, Gen. Masc. & commate sequente 20. tinea & erosio tanquam duo distincta efferuntur.
- IV. Τῶν ἡμερῶν κενταισμίων, Joh. XX, 19. quamvis fiat ἕσπς ὀψίας, vespera existente, non tamen idem, quod hoc, est; adeoque non circumstantiam temporis, sed primario modum ingressionis Christi exprimit.
- V. Non ferendum, quod J. C. Scaliger in de causis. L. L. c. 75. statuit, esse Græcorum articulorum otiosum loquacissimæ gentis stibellum, ἡ καθολικῶς, ut plerumque fit, accipiatur. Unde & plerisque ἐν τῶν ἀδυνατων visum fuit hætenus, articulorum rationem complecti, & cogere velle in unum. Quod tamen egregie, ut solet, præstitit Φιλολογώτατος Præceptor noster, Dn. Σχῆς/ Qq. Miscell. Græc. qv. VI.
- VI. Bucephalum, Alexandri æquum, nec à capite bubulo, nec cornibus ita dictum verosimile videtur, quorum illud monstrum, hoc dedecus fuisset. Potius à bovilli capitis signo, armis impresso, prout in Thessalia, nobilibus æquis fertilissima, id genus alebantur, adpelatum existimamus.

Ad

Ad  
EXIMIVM DN. M. PRÆSIDEM.

**A**scende in cathedram Sophiæ placideq;  
triumpha:  
Gignere nam palmas Laurea nostra  
potest.

Gratulatio

D. V. Alberti,

---


**S**alvificæ stylus est Doctrinæ Ecclesia, Verbi  
Cœlestis Custos, Stella, Columna, Sedes,  
Elogia hoc quam digna sient, monstrare peritè,  
Dam, WEBERE, studes, te statione probas  
Esse sacra dignum. Nec erit labor irritus ille:


Namque Domus DOMINI firma columna clues,  
properabar

*Doctissimo DN. PRÆSIDI, Amico  
singulari fausta omnia adprecatus*

Jo. Olearius, D. & P. P.











Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20  
 Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

| Blue       | Cyan       | Green       | Yellow       | Red       | Magenta       | White | 3/Color    | Black |
|------------|------------|-------------|--------------|-----------|---------------|-------|------------|-------|
| Light Blue | Light Cyan | Light Green | Light Yellow | Light Red | Light Magenta | White | Light Grey | Black |
| Dark Blue  | Dark Cyan  | Dark Green  | Dark Yellow  | Dark Red  | Dark Magenta  | White | Dark Grey  | Black |

EL!  
 ION PHILO-  
 UM,

*itis comma 15.*  
 vulgatum ejus

INDULTU,  
 licè proponit  
 L Weber! Lips.

NTE  
 ELE Hebenstreit/  
 arisco.  
 No 10c LXXXI.

E,  
 NO 1703. T154

2

B.20

